16

Simile habetur de ysaac apposi-
tus est populo suo Genesis·xxxv·
Et eciam de iacob Gen̄.l.
Ex verbis que dixit thobias incre-
pans ꝓpinquorum stultitiam patet
manifeste ꝙ anima viuat post sepa-
tionem eius de corpore filij et ꝙ san
ctorum simus et vitam illam expe-
ctamꝰ quā deus daturus est hijs q̃
fidem habent in illum Thobie·ij·
Et postea in oratione dixit dn̄e ſm
voluntatē tuā fac mecū et ꝑcipue in
pace recipi spiritū meū Thobie·iij·
Salomon in fine ecclesiastici ait re-
uertatur puluis in terram suā et spi
ritus redeat ad dn̄m qui dedit illū.
Ecclesiastici·xij·
Nota de septem filijs cū matre sua
ij·Machabeorum·vij·
Item in hoc manifeste apparet in di
uite epulante et lazaro quorū vnus
in penis scilicet diues et alter in re-
quie viuere probant̄ Luce·xvj·
Item hoc apparet in beato stepha-
no qui ait dn̄e accipe spiritum meū
Actuum·vij·
Item per ap̄lm·ij· Chorintheorū·v·
dicentē scimꝰ ꝙ si terrestris domus
nostra soluat̄ ꝙ habemus a deo nō
manu factā sed eternā in celis.
Item philippen̄·j· Cupio dissolui
et esse cum cristo·
Item romanorū.vij. Infelix ego ho
mo q̃s me separabit de carcere mū-
di huius. iacob credens filium suū
ioseph mortuū ait descendā ad filiū
meū lugēs in infernū Gen̄.xxxvij.
De thore et complicibus eius dicit̄
Numeri·xvj·
Descenderunt viui ad infernū aper-
to humo et perierūt de medio mul-
titudinis per qd̓ patet ꝙ ibi viuūt

ſm aīas ex verbis illis sapiencie·ij·
Talia dixerunt qui peccauerūt per
qd ostendit̄ ꝙ tam boni ꝙ̄ mali vi-
uant in alio seculo de nabuchodo-
nosor dī ysaie·xiiij·
Exquo dormisti scilicet in morte nō
ascendit qui succidat nos infernus
subtus te cōturbatus est in occursu
aduentus tui et multa alia que ibi
ponunt̄ per que ipam animā osten-
ditur descendisse·
Itē nota de eleazar·ij·Macha·vj·
Qui ait si in ꝑsenti tpe a supplicijs
hoim eripiar sed manꝰ omnipoten-
tis dei nec viuus nec defunctus effu
giam· xp̄us monens discipulos ait
Nolite timere eum qui occidit cor-
pus animam autē nō potest occidere
Et sequitur timete eū qui postq̄ oc
ciderit corpus habet potestatem ani
mā mittere in iehennā Mathei·x·

## De ingratitudine.

Prepositus pincernarū pha
raonis succedentibꝫ prospe-
ris ioseph interpretis sui ob
litus est Genesis·xl·
Utiliter et fideliter seruiuit iacob la
ban sed ille eum sepius fallere nite-
batur Genesis·xxxj·
Videns populus israhel ꝙ morā in
faceret moyses dixerunt ad aaron
fac nobis deos et fecit ei vitulū au-
reum Exodi·xxxij·
Angelus dn̄i imꝑperauit filijs isra-
hel beneficia dei eis collata nō obli-
uisci et tamen illi ruperāt fedus ita
vt transgrederent̄ mandata domini
Iudicum·ij·
Multa beneficia receperat saul a da
uid et tamen multis modis ad occi-
dendū eū laborauit·j·Regū·xviij·

TECHNISCHE UNIVERSITÄT DARMSTADT
http://tudigit.ulb.tu-darmstadt.de/show/inc-iii-109/0031
Universitäts- und Landesbibliothek Darmstadt
gefördert durch die DFG